

## **De Congregationibvs Clericorvm In Commvni Viventivm**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniæ Agrippinæ, 1632**

Cap. XIX. Congregatio Clericorum sæcularium, Doctrinæ Christianæ, à Cæsare Busio & P. Romillonio an. 1592. in vrbæ Auenionensi inchoata, vnitur cum Congregatione S. Maioli Papiensi seu Somaschæ, per ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64608](#)

IN HISPANIA.

Madritensis domus.

Compluti. Collegium Complutense.  
Domus Complutensis.

Vallisoletana domus.

Castrillensis domus. Castrillo.

Salmanticensis domus.

Hispalensis domus.

Olisipone. Domus Olisiponensis.  
Domus Recessus extra urbē.

---

C A P V T X I X .

---

CONGREGATIO CLERICORVM SÆCV-

larium Doctrinæ Christianæ, à Cæsare Busio,  
& P. Romillonio an. 1592. in vrbe Auenionensi  
inchoata, vnitur cū Congregatione S. Maioli  
Papiſſis seu Somascha per Paulū V. an. 1616.

P AVLVS Papa V. ad perpetuam rei me-  
moriā. Ex iniuncto nobis desuper A-  
postolicæ seruitutis officio, ad ea per quæ  
piorum hominum Congregationes, in  
militanti Ecclesia, præsertim ad legē Chri-  
stianam rudibus exponendam, prouidè  
sancteque institutæ, maioribus in dies pro-  
ficiant incrementis, sedulò intendimus.

Exponi siquidē nobis nuper fecerunt di-  
lecti filij ANTONIVS VIGERIVS, Præposi-  
tus, ac Clerici seculares Cōgregationis Do-  
CTRINÆ CHRISTIANÆ, in ciuitate Aue-  
nionensi canonicè institutæ, quòd ipsi fœ-  
liciori eiusdem Congregationis statui &  
augmento consulere volentes; eandem

Coa,

Congregationem, Congregationi clericorum regularium Congregationis SOMASCHÆ, alias S. MAIOLI PAPIENSIS per nos vñiri & incorporari desiderant; & propterea infra scripta Capitula cum dilectis etiam filijs Præposito & Clericis Regularibus dictæ Congregationis Somaschæ statuerunt, quæ à venerabilibus fratribus nostris, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, negotijs Regularium præpositis, recognita & approbata fuerunt; tenoris sequentis, videlicet:

*Conuentiones firmatae ac stabilitate inter Clericos regulares Congregationis de Somascha, & Patres Congregationis Doctrina Christianæ in Regno Galliæ, pro vnione facienda utriusque Congregationis. Quod quidem negotium à sanctissimo D. N. fuit commissum Sacrae Congregationi Illusterrimorum DD. Cardinalium, negotijs Episcoporum & Regularium præpositorum.*

I. In primis igitur, Doctrina Christianæ Patres, eorumque successores, in perpetuum secum retinebunt institutum docendi doctrinam Christianam parvam, mediocrem & magnam, iuxta laudabilem eorum consuetudinem, quam inviolabiliter seruabūt, & in ijs domibus, quas nunc possident, & in ijs, quas in posterum possidebunt in toto regno Galliæ.

2. Reuerende Pater CÆSAR DE BVS, vir pietatis

pietatis eximia, Congregationisque Patrum doctrinæ Christianæ, in regno Galliæ, primus parés & institutor, habeatur in religione pro auctore, ut reuera fuit, huius sanctissimi instituti doctrinam Christianam in dicto regno Galliæ populos edocendi.

Patres doctrinæ Christianæ in Gallia, vocari deinceps, post factam vniōnem, debebunt patres doctrinæ Congregationis Somaschæ seu S. Maioli Papiensis, & priuilegia omnia erunt communia.

Sub obedientia viuent Præpositi generalis de Somascha, qui semel singulis triennijs per se vel per alium ab eo destinandum, eos visitabit. Cæterum eorum regimen & gubernatio in toto regno Galliæ, in domibus tam aequisitis quam acquirendis, sit penes Superiores Gallos: & Provincialis similiter Gallus eligendus, per Capitulum generale de Somascha eis instituatur. Qui quidem erit vnusex duobus vel tribus Patribus nominatis siue Præpositis à Capitulo Provinciali ipsius Provinciæ Galliæ, tempore debito congregato.

Cuius Provincialis auctoritas erit, de loco ad locum personas mutare; Nouitios, per se vel per locorum Superiores, ad professionem admittere; Concionatoribus concionandi facultatem concedere,  
dummo-

158    *De Congregationibus Clericorum*

dummodo ab Episcopis locorum licentia  
seu benedictionem ad formam Concilij  
Tridentini obtineant, & alia facere, quæ  
Visitatoribus dictæ Congregationis So-  
maschæ conceduntur. In reliquis autem  
tanta sit eius auctoritas, quanta à Capitulo  
Prouinciali conceditur eidem.

Debet tamen Præpositum genera-  
lem, ubi commodè poterit, consulere, vel  
saltem de singulis magni momenti rebus  
certiorem facere.

Prouincialis statim atque erit electus,  
censeatur esse, & sit ipso facto de gremio  
Capituli generalis, in quo vocem actiuam  
& passiuam habeat. Eius officium per trié-  
nium durabit. Ad Capitulum generale  
cum accederet, socium unum seu Discretum,  
antea à Capitulo Prouinciali eleatum de-  
ducet: qui quidem socius in Capitulo ge-  
nerali interueniet, cum vtraque voce.

Quod si contingat Prouincialis obi-  
tus; eo casu Superior, professione senior,  
censeatur electus.

Ad Capitulum Prouinciale spectabit,  
cum maiori parte votorum, noua loca,  
prævio tamen Episcoporum consensu, &  
seruata forma Clementis Octavi, recipi-  
re; recepta deferere, Superiores locales  
eligere vel deponere; reos, si qui erunt pu-  
nire, aut innocentes absoluere; curam  
monia-

monialium ordinariam pro Confessionibus audiendis, de consensu & licentia eorumdem Episcoporum, recipere, bona in vniuersum, in toto regno Galliae, ipsi Congregationi relictam, alicui loco particulari assignare; Nouitios quadragesimum annum excedentes vel qui alterius Religionis habitum habuerint, & debitam trans eundi facultatem à Sede Apostolica obtinuerint, ad probationem admittere, exemptiones diuturnas maximè senibus & Studentibus, ad tempus, non autem perpetuò, & ex causa, impertiri; locū p<sup>r</sup> Capitulo Provinciali p<sup>r</sup> ximè congregando determinare.

Insuper Capitulo Provinciali (quod mē se Septembribus præcedente Capitulum generale, conuocandum erit) præter Provincialē, interesse debet quilibet Superior localis, vna cum socio seu discreto, à Capitulo Conuentuali eiusdem loci, dummodo sex saltem ibi resideant, eligendo.

Quare pro parte primodictæ Congregationis, fuit nobis humiliter supplicatum, quatenus vniōnem & incorporationē huiusmodi facere, & eis in præmissis oportune puidere de benignitate Apostolica dignarremur. Nos pijs Clericorū p<sup>r</sup> dictorū votis, quanti cū Domino possumus, annuere, illosq; specialibus fauorib<sup>r</sup> & gratijs p<sup>r</sup> sequi volētes, & eorū singulares psonas à q<sup>r</sup> buluis  
&c, censem.

censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorundem Cardinalium consilio dictam *Congregationem Doctrinæ Christiane*, in prædicta Ciuitate Auenionensi institutam, *Congregationi Somaschæ* prædicta (ita ut vnum corpus Congregationis essent), ac Clerici dictæ Congregationis *Doctrinæ Christianæ*, regulas & constitutiones secundo dictæ Congregationis Somaschæ, ab Apostolica Sede approbatas seruent, & profiteantur, necnon Capitula prædicta adimpleantur & etiam seruentur, saluis tamen limitationibus & modificationibus infrascriptis videlicet, quod Provincialis prædictus exemptiones diutinas huiusmodi, nonnisi ex causa alicuius impedimenti, concedere possit aut debent) Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuò vnitius & incorporamus.

Nec non cum dicto ANTONIO, ut infra quatuor menses à die cœptæ probationis numerandos, integro non expectato probationis anno, professionem per dictos Clericos Congregationis Somaschæ huiusmodi emitti solitani, expressè emittere liberè & licite valeat, auctoritate & tenore prædictis indulgemus, ac cum eodem desuper dispensamus. Cæteros vero primodiæ Congregationis Clericos,

attest

antequam professionem huiusmodi emitant, annum probationis integrè completere debere.

Ac Clericos secundodictæ Cōgregatio-  
nis in Galliam, pro instructione dictorum  
presbyterorum mittendos, in statu Eccle-  
siastico regni Galliæ locorum Superiores,  
etiam si non sint Galli, eligi posse statuim⁹.

Dēcernentes præsentes litteras validas,  
firmas & efficaces existere & fore, suosque  
plenarios & integros effectus sortiri &  
obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat,  
inuolabiliter obseruari debere, ac irituni  
& inane, si securus super his à quoquā, qua-  
ūis auctoritate, scienter vel ignoranter cō-  
tigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus &  
ordinationibus Apostolicis, ac utriusque  
Cōgregationis huiusmodi, etiam iuramē-  
to, confirmatione Apostolica, vel quauis  
firmitate alia roboratis, statutis, & consue-  
tudinibus, priuilegijs quoq; iudicatis, & lit-  
teris Apostolicis in contrariū præmissorum  
quomodolibet concessis, confirmatis, &  
innouatis. Quibus omnibus & singulis eo-  
rum omnium tenores præsentibus pro ex-  
pressis habentes, hac vice duntaxat, specia-  
liter & expressè derogamus. cæterisque  
contrarijs quibuscumque.

Volumus etiā, ut præsentium transump-

L tis,

tis manu Notarij publici subscriptis, & si-  
gillo alicuius personæ in dignitate Eccle-  
siastica constitutæ munitis, eadem prorsus  
fides vbique adhibetur, quæ præsentibus  
adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Ma-  
riæ iorem, &c. die 11. Aprilis 1616. Pontifica-  
tus nostri anno vndecimo.

## C A P V T XX.

**CONGREGATIO CLERICORVM SÆCV-**  
larium B. Mariae, in communi viuentium, ab  
Alexandro Lucensi Episcopo ann. 1583. insti-  
tuta, per Clementem VIII. ann. 1595. confir-  
matum.

**C**LIMENS Papa VIII. ad perpetuā rei  
memoriam. Ex quo diuina maiestas  
ad Pastoralis officij fastigium nos, quam-  
quam immeritos, euexit, illa, quantū in no-  
bis semper fuit, superno auxilio freti facere  
conati sumus, ut Confraternitates seu So-  
cieties aut Congregationes, quæ ad diui-  
ni cultus augmentum & animarum salutē  
institutæ sunt, & in obseruatione institu-  
torum suorum piè & religiosè persistunt,  
magis quotidie in illo suo pio & sancto  
proposito confirmarentur.

Cum itaq;, sicut accepimus venerabilis  
frater ALEXANDER Episcopus Lucanus,  
iamdudum Confraternitatem seu societa-  
tem,